

damus saepe dictis leprosis III<sup>or</sup> iugera praememorata in proprietatem iure perpetuo possidenda. Ne autem tale factum valeat irritari, praesentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Datum Lipzk anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXXVIII<sup>o</sup>. VI. Kal. Septembris coram positis his quorum nomina sunt subnotata. Petrus praepositus, Johannes prior, Heinricus Albus, qui et hanc litteram conscripsit, Theodericus de Hallis, Christianus, Heinricus de Fine, Heinricus Jageboc, Johannes Kriz, Baldewinus, Heinricus capellanus, Conradus, Johannes presbyteri ecclesiae nostrae, Symon scultetus senior, Walterus, Hermannus de Pomezin cives Lipzcenses.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Probst Petrus und des Capitels an Pergamentstreifen.

(Seeburg) Nachträge z. Gesch. Leipzigs. I. (Lpz. 1835) S. 22.

## No. 11. 1284.

*König Rudolf bestätigt zu Eger dem Bischof Heinrich von Merseburg die Privilegien Freiheiten und Besitzungen seiner Kirche, mit namentlicher Aufführung der Stücke, welche die Markgrafen von Meissen von dieser zu Lehn tragen, u. A. der Stadt Leipzig.*

In nomine domini amen. Rodolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis tam praesentis quam futuri temporis inspectoribus praesentis scripti in perpetuum. Tunc regnantis extollitur solium, tunc praeceminentia domini grata redditur universis, cum benemeritos fideles suos remunerat et eorum obsequia dignae retributionis commercio favorabiliter recompensat. Nos itaque fidelium et devotorum imperii eorum praecipue, qui se nobis obedientes exhibent et devotos, cupientes obsequia retributione meritoria compensare respiciendo eosdem privilegio gratiae specialis recognoscimus et ad notitiam universorum tam praesentium quam futurorum volumus pervenire, quod nobis constitutis in Egra fidelis et devotus nobis et imperio venerabilis H. Merseburgensis episcopus ad nos ibidem veniens suaque regalia de manu nostra suscipiens suo et ecclesiae Merseburgensis nomine nobis humiliter supplicavit, ut privilegia et libertates ecclesiae Merseburgensis ab antecessoribus nostris divis imperatoribus ac regibus traditas ratificare approbare ac confirmare divinae remunerationis intuitu dignaremur. Nos vero ipsius precibus devotis et humilibus annuentes universa privilegia instrumenta libertates et donaria, quas quidem in literis suis feodalibus vidimus et audivimus, quibusdam privilegiis sigillis imperialibus signatis nihilominus nobis exhibitis, quae piae recordationis Otto fundator ecclesiae et Heinricus eiusdem ecclesiae reformator imperatores Merseburgensi ecclesiae donaverunt, ratificamus approbamus auctoritate regia confirmantes. Ut autem maior horum sit firmitas, idem episcopus omnia feoda, quae marchiones Misnenses qui pro tempore fuerunt ab antecessoribus suis episcopis et ab ipso habuerunt et habent titulo feodali, nobis nominaliter declaravit. Sunt autem haec feoda forestum sive nemora inter Salam et Mildam Plisnam et Siusilam fluvios sita, quae successione temporis ad agri culturam et ad usus magis utiles sunt redacta, quae Th. marchio princeps imperii partim